

tatem, ut satis sit nosse aliquid revelatum esse, ad hoc ut certissime illud teneamus. Simili modo sufficit attendere ad objecti evidentiam, ut illud tamquam prorsus indubium amplectamur. Itemque subjectiva evidentia, quamvis connectitur cum objecto evidenti, ipsa tamen sufficit, quin ad illud attendamus, ut intellectum securum reddat (1). Sicut si quis sciret actum aliquem cognitionis esse supernaturalem, præscindendo a natura objecti ejusdem, posset certissimus esse de illius veritate, secundum sententiam Theologorum, qui docent actum supernaturalem falsum esse non posse. Et sic patet, quomodo evidentia sit generale criterium certitudinis pro omni cognitione naturali; nam nulla est cognitio certa naturalis ordinis, quæ non sit evidens, quæque non terminetur ad objectum evidens; nec est objectum evidens, quod non pariat certitudinem, dum evidenter menti proponitur; nec denique evidens cognitio, quæ non sit certa et infallibilis.

Quid cavendum
in usu
criterii hujus.

Quare in usu criterii hujus id unum curandum est, ut ne larvatam et apparentem evidentiam pro vera sumamus. Et in judiciis quidem immediatis, et etiam in multis mediatis, quæ ex immediatis proxime consequuntur, nullius negotii est id vitare; in aliis vero facile fieri potest ut hallucinemur. Quare vigilandum est, et abjicienda præjudicia, jubendumque silere affectus animi, ut sincere veritatem quæramus, nec quod magis placet, sed quod solidissimis argumentis fulcitur, sequamur. Nec semel dumtaxat rem considerasse sufficiat, sed iterum et sæpius attentissime meditando propositam controversiam quaquaversus circumspeciamus, et severissimæ rationis trutina pensemus. Id si fiat, quæ vere evidentia sunt, magis magisque clarescent; quæ autem talia non sunt, licet prima fronte, quacumque tandem causa, talia apparuerint, mentium illum splendorem mox amittent, deque errandi periculo expectantem mentem admonebunt.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

98. Objic. 1.^o Multi, cum errant, evidentiam jactant. Ergo evidentia nequit esse veritatis criterium.

(1) Fuse de hac materia cl. P. Mendive (*Elementos de Lógica*, 2.^a part., cap. 3, art. 4 et 5), qui criterium generale unice in evidentia subjectiva reponit (ib. art. 5, n. 579 seqq.)

Resp. *dist. ant.*; quam vel mentiuntur, vel ex hallucinatione quadam putant se habere, *trans.*; quam vere habeant, *neg.* Vera namque evidentia stare cum errore nequit. Hoc tamen sæpe contingere potest, ut ex æstu inordinatarum affectionum, vel ex præcipitantia quadam censeant aliqui se habere evidentiam, quam non habent. Itaque pacate res consideranda est, et exuendus animus, quantum fieri potest, ab omni præjudicio et affectione, ut veritas sincere quaeratur.

Illud etiam notari potest, eos, qui evidentiam falso jactant, quandoque aliquid evidenter percipere, et nihilominus errant; quia non id ipsum, quod evidenter perceperunt, affirmant, sed aliud cum eo connexum, vel illud ipsum ultra eos limites perperam extendunt, intra quos veritatem atque evidentiam habet (1).

Objic. 2.^o Si evidentia falso jactari potest; ergo datur vera ac fucata evidentia. Itaque necessarium erit aliud criterium, quo illæ inter se discernantur, ac proinde saltem evidentia nequit esse ultimum veritatis criterium.

Resp. Vera evidentia a falsa distinguitur per ipsam evidentiam, sicut ad discernendum solem a cæteris objectis, non opus est alio lumine. Vera namque evidentia, quo magis res consideratur, attentius ac pacatius circumspicitur, eo vividius aciem mentis perstringit, et omnem errandi formidinem expellit. At contrarium accidit larvatae evidentia.

Obj. 3.^o Criterium evidentia, saltem subjectiva, huc tandem revocatur, ut judicemus rem ita esse, quia sic nobis videtur. At hoc quid tandem differt a criterio Protagoræ superioris rejecto?

Resp. *dist. Major.* Criterium evidentia huc revocatur, ut judicemus rem ita esse, quia sic nobis lubet enuntiare, *neg.*; quia sic nobis enuntiamus esse clarissime videmus, *conc.*

Et *neg. Minor.*; in sententia enim Protagoræ cognitio nostra est mensura veritatis objectiva; at vero in nostra sententia cognitio, eaque vere evidens, est index veritatis rerum, ipsa autem dos evidentia in cognitione resplendens, dum objectum prout est in se manifestat, est quoque tessera necessaria conformitatis cognitionis cum objecto, seu infallibilitatis co-

(1) Vide Tongiorgi, *Logicæ*, n. 701.

gnitionis. Ipsum proinde objectum evidens non mensuratur a cognitione, sed potius e converso mensurat illam.

Objic. 4.^o Si evidentia veritatis criterium foret: α) veritas rerum ab evidentia penderet; β) quidquid verum est, evidens esset; γ) aut saltem quidquid certum est, propter evidentiam certum foret, cum tamen multa sint certa, quæ evidentia non sunt.

Resp. ad α) *dist.*: veritas rerum ab evidentia penderet in seipsa, *neg.*; quoad certitudinem de illis a nobis habendam, *conc.*

Ad β) *neg.* assert Nam, ex eo quod, quidquid evidens est, sit verum, vetant regulæ conversionis inferre, quidquid est verum, esse quoque evidens.

Ad γ) *dist.* Major. Quidquid certum est, propter evidentiam certum est in ordine naturalium cognitionum, *conc.*; in omni ordini cognitionum, etiam supernaturalium, *neg.*, vel *subdist.*; quidquid certum est propter evidentiam saltem *credibilitatis*, *conc.*; propter evidentiam præcise veritatis, *neg.*

Et revoca in mentem superius dicta (1).

DISPUTATIO QUARTA.

DE MEDIIS ASSEQUENDÆ VERITATIS.

Media cognoscendi alia sunt interna, externa alia.

99. Media cognoscendæ veritatis alia sunt cuiusque hominis propria, alia vero externa et aliena. Propria facultatibus ac potentiis cognoscitivis continentur, per quas, velut per totidem instrumenta et fidelissimos nuntios, rerum omnium mens notitia potitur. Externa revocantur ad auctoritatem testium, qui facta, etiam in dissitissimis locis temporibusve contingentiâ, nobis coram, ut cognoscere possimus, proponunt. Et quamquam disputatio de facultatibus cognoscitivis, quantum earum naturam, modum operandi, aliasque abstrusiores quæstiones attinet, ad tractatum de Anima, tamquam ad

(1) Num. 94 et n. 73. Vide etiam Tongiorgi, *Logic.*, n. 697 et 49.

propriam sedem reservanda sit; nihilominus etiam Logica de illarum saltem veracitate silere nequit, si nefarios velit scepticorum conatus retundere, qui humanæ mentis ad veras cognitiones hauriendas habitatem aut inficientes, aut in dubium revocantes, omnem vitam intellectualem interimere nituntur, scientiamque omnem impossibilem reddunt.

CAPUT I.

DE MEDIIS INTERNIS

COGNOSCENDI.

ARTICULUS I.

Brevis descriptio facultatum cognoscivarum.

100. Duplicis ordinis sunt in homine potentiæ cognoscitivæ, sensitivæ et intellectivæ (1).

Sensus generatim describi potest *potentia vel facultas organica*, per quam objecta corporea percipiuntur. Quid sensus.

Dicitur *potentia organica*, in quo convenit sensus cum potentiis vegetativis, ac differt ab intellectu; nam et insidet in organo, et per organum exercet actum suum. *Organum* autem dicitur pars vel membrum corporis ad aliquam vite functionem destinatum, ut oculus ad visionem, cor ad generandum distribuendumque sanguinem. Et organum, quo sensationes peraguntur, proprium nomen sortitur apud Philosophos *sensorii* vel *sensiterii*, quamquam sæpissime generico vocabulo nuncupatur simpliciter *organum*. Quid organum.

Additur deinde in definitione, sensum esse potentiam, per quam objecta corporea percipiuntur, ut distinguatur tum a potentiis vegetativis, appetitivis et locomotivis, quæ apprehensivæ seu cognoscitivæ non sunt, tum etiam ab intellectu, cujus actus non ad objecta dumtaxat corporea restringitur, Sensorium.

(1) Fusc de his omnibus S. Thomas, opusculo de *Potentia animæ*.

sed etiam ad spiritualia se porrigit, per quae totam, qua late patet, entis latitudinem quodammodo spatiatur.

Operatio sensus vocatur *sensatio*, quae proinde generatim definitur *perceptio organica*.

101. Objectum sensus denominatur *sensibile*, ac dividitur in *proprium*, *commune et per accidens*. Sensibile proprium est, quod ita sentitur uno sensu, quod non potest alio sensu sentiri... sicut visus proprie est cognoscitivus coloris, et auditus soni, et gustus humoris, id est saporis (1).

Sensibile commune est id, quod non ab uno, sed a pluribus sensibus percipitur. *Communia sensibilia sunt ista quinque: motus, quies, numerus, figura et magnitudo* (2). Haec enim nullius sensus unius sunt propria, sed sunt communia omnibus. Quod non est sic intelligendum, quod omnia ista sint omnibus communia, sed quaedam horum, scilicet numerus, motus, et quies sunt communia omnibus sensibus; tactus vero et visus percipiunt omnia quinque (3).

Utrumque hoc sensibile, proprium et commune pulchre et eleganter illustrat S. Augustinus in opere *de Libero arbitrio* (4).

Tandem sensibile per accidens est, quod per se non movet sensum, nec aliter sentitur, nisi quia est conjunctum cum eo, quod per se cadit sub sensum; ut si quis dicat se videre *filium Petri*, aut *dulce*, videt enim id quod est dulce, et quod est *filium Petri*; sed non quatenus *dulce* vel quatenus *filium Petri*; sed quatenus *album* vel *coloratum*. Sensibile per accidens, est in duplici genere; alterum enim est tale in particulari et respectu unius dumtaxat sensus, puta *visibile* per accidens, *audibile* per accidens, *gustabile* etc. per accidens. Alterum est sensibile per accidens universaliter respectu sen-

(1) S. Thom. Lib. 2.^o de Anima, lect. 13, paragr. b.

(2) Additur his a quibusdam *distantia*; sed haec facile revocatur ad magnitudinem, ut explicat Suarezius (lib. 3 de An., cap. 8, n. 8); idemque dicendum de aliis sensibilibus communibus, quae solent adungi, ut videre est apud eundem Eximium Doctorem, Conimbricenses (*De Anim.*, lib. 3, cap. 9, quest. 4), et alios.

(3) S. Th., lib. 2.^o de Anima, lect. 13, paragr. e. Cfr. Suar., loc. cit. n. 8, et Conimbric., lib. 2.^o de Anima, cap. 6, q. 4.

(4) Lib. 2, cap. 3.

suum omnium; quod nimirum a nullo sensu per se potest percipi; quo pacto ratio *substantiae* v. g. et *viventis* dicuntur sensibilia, quia nullus est sensus, sive interior sive exterior, qui valeat per se rationem substantiae ac viventis apprehendere, sed intellectus dumtaxat (1).

Sed probe nota, ut aliquid vere dici possit sensibile per accidens, tres requiri condiciones: a) quod accidat ei, quod per se est sensibile; sicut accidit albo esse hominem, et accidit ei esse dulce; β) quod sit apprehensum a sentiente; si enim accideret sensibili, quod lateret sentientem, non diceretur per accidens sentiri; oportet igitur ut per se cognoscatur ab aliqua alia potentia cognoscitiva sentientis (2).

γ) Requiritur praeterea, ut statim apprehendatur sine dubitatione ac discursu, ad occursum qualitatis per se sensibilis. Ut enim observat Aquinas, non... omne quod intellectu apprehendi potest in re sensibili, potest dici sensibile per accidens; sed quod statim ad occursum rei sensate apprehenditur intellectu. Sicut statim, cum video aliquem loquentem vel movere seipsum, apprehendo per intellectum vitam ejus; unde possum dicere, quod video eum vivere (3). Quamobrem Deus non est sensibilis per accidens, cum nequeat sine ratiocinatione cognosci ad aspectum rerum sensibilium (4).

102. Sensus alii sunt *externi*, alii *interni*. Externi quorum organa patent extrinsecus, sunt quinque illi nobilissimi sensus, quorum *partitio velutissima est, et fere in concionibus celebrata*, inquit Augustinus (5), nimirum *visus, auditus, odoratus, gustus et tactus* (6). Visus residet in oculis,

(1) Vide S. Thom. de Anima, loc. cit.; et 4.^o Dist. 49, q. 2, art. 2, in corp., ubi triplex hoc sensibile lucide explicatur; sicut etiam in 1. p. quest. 17, art. 2.

(2) S. Thom., loc. cit. lib. 3, lect. 13, paragr. d.

(3) S. Thom., ib. Cfr. 4.^o dist. 49, q. 2, a. 2, in corp.

(4) Suar., lib. 3.^o de Anima, c. 8, n. 2; Cfr. de his Toletus, Conimbricenses, Rubius et reliqui Aristotelis commentatores in lib. 2, de Anima, cap. 6, text. 63, seqq.

(5) De Quantitate animae, cap. 23.

(6) Ita communis opinio cum S. Augustino, trat. 15 in Joann.; lib. de Quantit. anim. c. 23; Lib. 3 de Liber. arbitrio, cap. 3, 4 seqq.; De duab. animab. adversus Manicheos, cap. 2; de Genes. ad litt. lib. 2; S. Hieron., in Ps. 14, S. Gregor., M. homil. 17 in Ezechiel; homil.

Conditio ad sensibile per accidens requiritur.

Sensus externi et interni.

Quot externi, et quantum illorum objecta.

habetque proprium objectum *lucem cum coloribus*; auditus est in aure ac sentit *sonos*; odoratus affixus est naso ad percipiendos *odores*; gustus sedem habet in lingua et palato, gustatque *sapores*; tactus demum per totum corpus diffunditur, perque ipsum apprehenditur *calor, frigus, humiditas, siccitas, durities et mollities, asperitas et levitas* (1).

Sensus interni
quot:

Sensus interni sunt illi, quorum organa latent interius; tales sunt *sensus communis, imaginatio, aestimativa et memoria*.

sensus
communis.

Sensus communis est illa potentia, per quam percipimus objecta sensuum exteriorum, ea inter sese discernendo (2).

Quia discernimus aliqua virtute non solum album a nigro, vel dulce ab amaro, sed etiam album a dulci, et unumquodque sensibile discernimus ab unoquoque, et sentimus, quod differunt; oportet quod hoc sit per sensum, quia cognoscere sensibilia, in quantum sunt sensibilia, est sensus; cognoscimus autem differentias albi et dulcis, non solum quantum ad quod quid est utriusque (id est, quantum ad essentiam) quod pertinet ad intellectum; sed etiam quantum ad diversam immutationem sensuum: et hoc non potest fieri nisi per sensum (3). Unde ejusmodi sensus discernens inter diversas sensationes earumque objecta in brutis etiam reperitur, quippe qui non solum distinguunt inter varias impressiones unius ejusdemque sensus, verum etiam inter impressiones diversorum, gustus v. g. et tactus, si quando, dum aliquid edunt, fuste aut verbera abiguntur.

Nec dicas ad ejusmodi impressiones discernendas externos sensus sufficere. Nam discernere inter varias sensationes nequit sensus, nisi omnes illas in se experiatur; nullus autem est sensus externus, qui experiri possit aliorum sensuum impressiones, cum singuli habeant sua quique objecta propria. Necessae est ergo, ut adsit alius quidam sensus ab

9.^a in Evang.; S. Gregor. Nyssen. orat. 6. in Cantic.; S. Joann. Damasc. lib. 2. de Fid. orthod. c. 18; S. Thom. 1. p. q. 78, a. 3 et locis ib. citatis.

(1) S. Thom. Opusc. de Potentia anim. Satis commune est apud recentiores perceptionem voluptatis ac doloris attribueri sensui interno. Id nunc permittimus. In tractatu autem de Anima videndum est an non potius dolor et voluptas corpora ad tactum spectent ex doctrina S. Thomae aliorumque plurium Doctorum.

(2) Vide Suarez., de Anima, lib. 3, cap. 31.

(3) S. Th., de Anim., lib. 3, lect. 3, paragr. 6.

omnibus externis distinctus, qui horum in se colligat impressiones, atque inter illas dijudicat, et propterea etiam nomen sortitur *sensus communis* (1), tum quia est terminus communis omnium immutationum exteriorum sensuum, tum quia ex illo, tamquam ab una communi radice, procedit vis sentiendi, ac per quinque organa diffunditur (2), ut alibi fusius dicitur.

Imaginatio vel phantasia est vis reproducendi etiam in objectorum absentia sensiles representationes olim habitas. Quamobrem imaginatio dicitur a S. Thoma, *thesaurus quidam formarum per sensum acceptarum* (3).

Aestimativa est facultas apprehendendi etiam quasdam rationes, quae sensus externos effugiunt, ex eo quod utilitatem aut nocumentum afferunt subjecto. Nam *necessarium est animali, ut quaerat aliqua vel fugiat, non solum quia sunt convenientia vel non convenientia ad sentiendum, sed etiam propter aliquas alias commoditates et utilitates sive nocumenta; sicut avis videns lupum venientem fugit, non propter indecentiam coloris vel figurae, sed quasi inimicum naturae; et similiter avis colligit paleam, non quia delectet sensum, sed quia est utilis ad nidificandum. Necessarium est ergo animali, quod percipiat hujusmodi intentiones, quas non percipit sensus exterior; et hujus perceptionis oportet esse aliquod aliud principium* (4), nimirum *aestimativa*.

Tandem *memoria* est facultas reproducendi olim habitas impressiones recognoscendo illas: vel, si mavis, eam aliter cum S. Thoma intelligere, est facultas conservandi intentiones vel impressiones per aestimativam perceptas. Ad apprehendendum enim *intentiones, quae per sensum non accipiuntur, ordinatur vis aestimativa; ad conservandum autem eas vis memorativa, quae est thesaurus quidam hujusmodi intentionum; cujus signum est, quod principium memorandi fit in animalibus ex aliqua hujusmodi intentione, puta quod est nocivum vel con-*

imaginatio.

aestimativa.

memoria.

(1) Vide S. Thom. ibid. paragr. c. d., cum Arist. Lib. 3 de Anim. text. 146 seqq. et item S. Thom. 1. p. q. 78, a. 4, ad 2.^{um}

(2) S. Thom., de Anim., lib. 3, lect. 3, paragr. h; 1. p. q. 78, a. 4 ad 1.^{um} et 2.^{um}

(3) 1. p. q. 78, a. 4 in corp.

(4) S. Thom. 1. p. q. 78, a. 4 in corp.

veniens. Et ipsa ratio præteriti, quam attendit memoria, inter hujusmodi intentiones computatur (1).

Internos hosce sensus in brutis agnoscit S. Augustinus, sic eleganter scribens; *Et per loca nota sine errore jumenta pergunt; et cubilia sua bestiae repetunt, et canes dominorum suorum corpora recognoscunt, et dormientes plerumque immurmurant, et in latratum aliquando erumpunt; quod nullo modo possent, nisi in eorum memoria, visarum, vel certe per corpus utcumque sensarum, versarentur imagines.* (2). Sed hactenus de potentiis sensitivis.

103. Intellectus est facultas inorganica objecti cognoscitiva, eamque necessario admittendam esse in nobis nemo negaverit, si mentem paulisper applicet ad considerandas innumeras rerum cognitiones, quæ cadere in sensum nequaquam possunt. Sensus enim *sisit circa exteriora accidentia rei* (qualitates sensibiles); *intellectus vero penetrat usque ad rei essentiam, objectum enim intellectus est quod quid est, ut loquitur Angelicus* (3). Et ideo etiam, eodem docente, *nomen intellectus quandam intimam cognitionem importat; dicitur enim intelligere, quasi intus legere. Et hoc manifeste patet considerantibus differentiam intellectus et sensus. Nam cognitio sensitiva occupatur circa qualitates sensibiles exteriores; cognitio autem intellectiva penetrat usque ad essentiam rei, objectum enim intellectus est quod quid est, ut dicitur in 3.^o de Anima* (text. 26). *Sunt autem multa genera eorum, quæ interiorius latent, ad quæ oportet cognitionem hominis quasi intrinsecus penetrare. Nam sub accidentibus latet natura rei substantialis; sub verbis latent signifi- cala verborum; sub similitudinibus et figuris latet veritas figurata (res enim intelligibiles sunt quodammodo interiores respectu rerum sensibilibus, quæ exterius sentiuntur), et in causis latent effectus: et e contra. Unde respectu horum omnium potest dici intellectus* (4).

(1) Ibid. Vide Suar., disp. 1 *Metaph.* sect. 6, n. 16 fin.

(2) S. August. contra *Epistol. Fundamenti*, cap. 17.

(3) S. Thom. 1. 2. q. 31, a. 5.

(4) 2. 2. q. 8, a. 1. Cfr. 3.^a dist. 35, q. 2, a. 2. s. d. 1.^a Pulchre etiam intellectum describit M. Augustinus (lib. 11 de *Civitate Dei*, cap. 27): *Omnia corporalia latentes in natura causas habent; sed formas suas, quibus mundi hujus visibilis structura formosa est, sentiendas*

Verum multiplicem habet actum intellectus, unde variis etiam designatur nominibus. Nam et ex una cognitione in aliam procedit per discursum; ac sub eo respectu vocatur *ratio*; et olim cognita, retentis eorum speciebus, recordatur, ac sic denominationem sumit *memoria*; præterea in seipsum consideratione regreditur, ut suos proprios actus et affectiones contempletur; et quatenus ejusmodi reflexionem exerceat, appellatur *conscientia vel etiam sensus intimus*; ac denique tum res simpliciter apprehendit, tum judicia quædam immediata pronuntiat ex sola terminorum intuitionem atque invicem comparatione, tunc vero nomen sortitur *intelligentia* vel etiam simpliciter *intellectus*. Non ergo sunt hæc diversæ realiter facultates, sed ratione dumtaxat (1); unus enim idemque intellectus ob præstantiam naturæ suæ fecunditate pollet, ut unica et simplici virtute sua cognoscat omnia, quæ pars sensitiva multis potentiis apprehendit, et alia præterea multa (2); actus etiam eliciens specificè diversos, non secus ac si multiplex esset, et multiplici uteretur virtute. Verum hæc nunc supponenda, alibi demonstranda sunt.

Intelligentia itaque vocatur ipse intellectus quatenus simpliciter apprehendit, atque immediata profert judicia. Et duplex est ejus actus, *simplex apprehensio et judicia prima*, illa nempe quæ non per discursum et ratiocinationem, sed ex mera terminorum inspectione efformantur (3). Quare ad ipsum spectant prima scientiarum principia, unde omnis processus discurrendi exordium repetit. *Judicia vero immediata intelligentiæ propria, vel sunt rationalia vel experimentalia*. Experimentalia pronuntiantur ope experientiæ, sola

sensibus præbent, ut, pro eo quod nosse non possunt, quasi innotescere velle videantur. Sed nos ea sensu corporis ita capimus, ut de his non sensu corporis judicemus. Habemus enim alium interioris hominis sensum isto longe præstantiorem, quo justa et injusta sentiuntur. etc.

(1) Vide S. Thom., 1. p. q. 79, a. 7, 8; de *Veritat.*, q. 10, a. 3.

(2) S. Thom. 1.^a, *contr. Gent.*, c. 31 vers. fin.

(3) Non ergo sumitur hic *intelligentia pro actu intelligenti*, ut sæpe ab antiquis sumebatur (Vide S. Thomam, 1. p. q. 79, a. 10) sed pro potentia intellectiva, ut habetur apud eundem S. Thomam, 1.^a disp. 3, q. 4, a. 1 in corp. et ad 4.^{am} et 7; itemque de *Verit.* q. 10, art. 3.

Multiplex actus intellectus, unde varia sumit nomina: ratio; memoria intellectualis;

conscientia vel sensus intimus;

intelligentia

Quid intelligentia.

Judicia experimentalia et rationalia.

enim experientia monstrat in illis prædicatum subiecto convenire aut non convenire, ut cum judicamus *hunc hominem existere, ignem hunc comburere, Petrum loqui vel currere*. Judicia vero rationalia sunt illa, quæ pronuntiantur ex comparatione naturalium relationum inter subiectum et prædicatum, independentes ab omni experientia. Talia sunt hæc: *Idem non potest simul esse et non esse: Totum est majus sua parte: Non datur effectus sine causa etc.* Experimentalia denominantur etiam *synthetica*, et a *posteriori vel empirica*, quia in eis prædicatum non derivatur ex natura subiecti, sed potius exprimit aliquid, quod adjungendum et componendum illi esse docet experientia, atque adeo non pronuntiantur nisi *post* hanc. E converso rationalia dicuntur *analytica* et a *priori*, quia efflorescunt ex analysi idearum, ac, semel cognitis terminis, illico proferuntur, quin expectandum sit testimonium experientie. Judicia vero experimentalia vel respiciunt experientiam externam, quæ per sensus obtinetur, vel experientiam internam alicujus phænomeni, quod intra nos contingit.

Quæ cum ita sint, judicia intelligentiæ, cujuscumque tandem sint ordinis, sive rationalis sive experimentalis, evidentiam, qua gaudent, non aliunde participant, sicut judicia rationis, quæ non nisi mediata evidentia fulgent, ab immediatis judiciis derivata.

Ratio deinde est idem intellectus, quatenus, ope ac beneficio unius cognitionis, progreditur ad aliam novam cognitionem comparandam. Et proprius ejus actus est *ratiocinium* vel *deductio* aut *discursus*. Discursus porro bifariam potissimum haberi potest; vel comparando inter se plura judicia rationalia, ex quibus inferatur conclusio similiter rationalis, et tunc dicitur *purus*; vel applicando principia rationalia ad judicium experimentale, ut novæ exinde veritates detegi valeant; et discursus ejusmodi vocatur *mixtus*. Exemplum primi; *Ens necessarium est actus purus. Sed actus purus omnem respuit compositionem. Ergo ens necessarium compositum non est.* Exemplum alterius: *Entia contingentia existere nequeunt sine ente aliquo primo ac necessario. Sed existunt entia contingentia. Ergo existit quoque ens primum ac necessarium:* quæ conclusio non est pure rationalis, utpote fluens ex altera præmissa empirica. Si autem judicia fuerint omnia experi-

synthetica vel
a posteriori,
et analytica vel
a priori.

Quid ratio.

Ratiocinia
pura,
experimentalia
et mixta.

mentalialia, ratiocinium quoque est empiricum: v. g. *Æstati succedat autumnus. Sed nunc est æstas. Ergo mox adveniet autumnus.*

De memoria intellectiva nihil nunc occurrit specialiter explicandum.

Conscientia hic non sumitur in sensu *moralis* pro dictamine practico circa honestatem vel malitiam nostrarum actionum (1), sed pro ea facultate, qua in nos plene redimus, et actus quos elicitimus nosque ipsos ut eorum subiectum ac principium apprehendimus. Nam qui videt, sentit se videre, inquit Philosophus (2); qui audit, sentit se audire, qui ambulat, sentit se ambulare: atque sic etiam in cæteris est aliquid, quod sentit nos actione quædam fungi. Sic sentire etiam possumus, quod sentiamus, item intelligere, quod intelligamus.

Actus ergo proprius conscientie, prout hic sumitur, est intuitio quædam reflexa et experimentalis, qua nostras operationes actu præsentibus animadvertimus, ut aliquid ad nos pertinens, ut modificatio vel affectio proprii nostri subiecti, vel ut phænomenum, quod hic et nunc intra nos contingit. Nequit autem sic conscientia operationes subiecti in concreto referre, quin ipsum etiam subiectum talibus modificationibus affectum renuntiet (3). Unde S. Augustinus ex conscientie testimonio propriam existentiam patescere adversus Academicorum deliramenta arbitratur (4).

Ex iis determinatur *objectum* conscientie, quod porrigit se ad ea omnia, quorum *consensu* esse, quæque intra nos experiri possumus. Consensu autem sumus non omnium prorsus, quæcumque intra nos accidunt, ac nominatim operationum vitæ vegetativæ (5); sed operationum dumtaxat cognoscitivarum atque appetitivarum utriusque ordinis tum sensibilis tum intellectivi, itemque proprii nostri esse, ac proprii τῷ

Conscientia
quid.

Actus proprius
conscientie.

Objectum.

(1) Actus hujus conscientie moralis describuntur a S. Thoma, 1^o p. q. 79, a. 13.

(2) *Ethicor. ad Nicomach.*, lib. 9, cap. 9.

(3) Cfr. Arist. *ibid.*; et S. Thom., *de Veritat.*, q. 10, a. 8.

(4) Lib. 4 *de Civit. Dei*, cap. 26.

(5) Saltem nisi forte operationes ordinis vegetativi perturbate fiant; tunc enim sensum sui excitare possunt, ut patet ipsa experientia communi, et sic fiunt per accidens conscientie objectum.

ego. Hæc tamen omnia refert conscientia non abstracte ac præcise, verum concrete, quia modificationes proprias renuntiat prout subjectum afficientes, et subjectum prout modificationibus affectum.

Quæ cum ita sint, vides cur animus noster per conscientiam *plene in se redire* dicatur, quod fieri nequit per sensus. Nam licet sensus plures affectiones proprii subjecti referat, puta varias corporis nostri dispositiones, ipsasque sensuum externorum immutationes ac diversas operationes; nihilominus innumera facta sunt ordinis intellectualis, ad quæ sensus ob suam limitationem convertere aciem suam non potest: immo in ipso etiam ordine sensitivo nequit sensus in proprium subjectum et in proprios actus reflectere, quemadmodum alibi ostendetur.

Quænam autem sit natura tum internarum modificationum, tum subjecti easdem experti, non ipsa conscientia, sed ratio decernere debet, factum a conscientia relatum accuratissime perpendens: in quo certe decipi potest, si id, quod conscientia testatur, perperam interpretetur. Et ideo ex Angelico Doctore, *scientia de Anima est certissima, quod unusquisque experitur se animam habere, et actus animæ sibi inesse; sed cognoscere quid sit anima, difficillimum est* (1).

Actus conscientiæ essentialiter reflexus est. Verum nota duplicem distingui posse reflexionem, *ontologicam* et *psychologicam*. Ontologica, quæ proprio vocabulo dicitur *recogitatio*, est illa, qua objectum prius cognitum, iterum contemplamur ac meditatione relegimus; psychologica vero est ea, qua prævium aliquem actum tamquam *affectionem nostram* cogitamus (2). Et conscientiæ proprius actus est reflexio non ontologica sed psychologica.

Nihilominus plures Philosophi recentiores conscientiam dividunt in *directam* et *reflexam*: quam divisionem dilucide atque eleganter more suo exposuit Jacobus Balmes (3). Con-

(1) S. Thom., *de Verit.*, q. 10 (*de Mente*) a. 8 ad 8.^{um} eorum que in contrarium. Cfr. lib. 1.^o *de Anim.*, lect. 1 initio et paragr. d.

(2) Vide S. Thom., 3.^o dist. 23, q. 1, a. 2, ad 3.^{um}; Cfr. Opusc. 29 *de Princip. individualuat.*

(3) *Filosofia fundamental*, lib. 1, cap. 23, n. 226 seqq.

scientia directa vocatur ipsa præsentia actualis phænomeni cujuscumque in animo nostro, sive ordinis sensibilis sive intellectualis; reflexa vero est advertentia phænomeni præsentis hic et nunc in animo. *Audito sonum*; auditio ipsa in nobis existens constituit conscientiam *directam*; si autem *adverto me sonum sentire*, habeo conscientiam *reflexam*: unde conscientia directa videtur identificari cum ipso phænomeno præsentii quoad rem ipsam ex illorum auctorum sententia; vel non est nisi modus ejus, præsentia nimirum illius, ac proinde est prorsus inseparabilis a quocumque actu ejusmodi: dum e converso conscientia reflexa est actus distinctus ab illo phænomeno, qui habet pro objecto idem ipsum, nec semper comitatur præsentiam interni alicujus phænomeni, neque enim semper *advertimus* ad ea, quæ facimus, vel accidunt nobis (1).

Equidem sentio in primis divisione hac non duas designari *facultates* seu virtutes reflectendi, sed potius duo actuum genera. Adde etiam conscientiam, quam isti auctores vocant *directam*, non esse actum virtutis reflexivæ, quam modo sub nomine conscientiæ descripsimus, cum non habeat pro objecto præcedentem aliquam affectionem subjecti, quæ tamquam nostra nobisque intime præsens apprehendatur. Nempe non possumus proprie dici *experiri* et *conscii* esse illorum, quæ, licet intra nos versentur, actum tamen non advertuntur. Si enim idem est *experiri* affectionem aliquam, et eam in nobis utcumque habere, etiamsi non animadvertatur; cur non dicemus quoque habere conscientiam *directam* omnium prorsus actuum nostrorum, etiam ordinis vegetativi? Itaque arbitrarie et absque ulla necessitate imponi videtur nomen conscientiæ meræ præsentii phænomeni alicujus intra nos.

Tandem noto conscientiam illam *directam* inutilem esse prorsus ad Logicæ considerationem. Logica enim non agit speciatim de conscientia, nisi ad tuendam veracitatem atque extensionem testimonii facultatis reflexe cognoscitivæ, quam sub eo nomine designat. Neque arbitror distinctionem conscientiæ in *directam* et *reflexam* ullum afferre commodum,

Judicium de
hujusmodi di-
stinctione.

(1) Vide Balmesium, loc. cit.

Actus
conscientiæ
reflexus
est reflexione
psychologica.

Distinctio
conscientiæ in
directam et
reflexam.

sed potius confusionem generare posse in mentibus incipientium (1).

Itaque, quamquam nolim de voce contendere, meram affectionis præsentiam in subjecto, quæ solum est objectum actus reflexi conscientiæ, non appellabo conscientiam, etiam *directam*; sed sub nomine simpliciter conscientiæ hic semper intelligam facultatem illam seu virtutem, cuius actus est advertentia reflexa phænomenorum intra nos contingentium.

Sensus intimus.

Conscientia hæc vocari etiam solet *sensus intimus*, non quia sit facultas ordinis sensitivi; sed quia ejus actus affinitatem habet cum actu sensationis, cum sit experientia et intuitio facti alicujus concreti. Nihilominus sunt, qui sensum intimum inter et conscientiam plura notent discrimina (2); quæ, licet subobscurius proposita, huc tandem revocari videntur, ut *sensus intimus* sit idem, quod alii nominabant *directam conscientiam*, conscientia vero, quod iidem dixere *reflexam conscientiam*. Unum autem omnino reprehendendum puto, quod quidam sensum intimum *animæ* essentialem esse doceant: id quod absurdam Cartesii doctrinam sapit, essentialis animæ in cogitatione reponentis (3).

Et hæc fusius dicta fuerint, ut morem gereremus usui communi recentiorum auctorum, qui ad plures adversus veram Philosophiam revincendos errores, longas textunt de conscientia disputationes, quæ nusquam reperiuntur apud antiquos scriptores.

(1) Cæterum conscientia ista directa recentiorum videtur in idem recidere ac reflexio *virtualis* et *in actu exercito*, quam veteres Philosophi potentiis cognoscitivis, etiam sensitivis, tribuebant, identitatem cum ipso actu proprio et directo directione earum: secundum quam doctrinam dicebant v. g. dum vidit rosam, *quodammodo in actu nempe exercito ac virtualiter* sentire suam visionem, licet ad eam expresse ac reflexe non advertat. Sed de his agendum est in Psychologia. Vide Suar., *De Anima*, lib. 3, cap. 11; Lossada, *Curs. Philos., de Anim.*, disp. 5, cap. 5, n. 147 aliosque veteres AA.

(2) Vide Tong., *Instit. Log.*, n. 446; Palmieri, *Log.*, thes. XI, part. II.

(3) Quæret quispiam, num habeatur conscientia omnium affectionum nostrarum ordinis sensibilis et intelligibilis. Et responsio patet ex dictis: nimirum negatur, supposito quod non admittenda sit conscientia directa. Si quis vero illam velit admittere, concedet inesse directam omnium conscientiam; negabit reflexam.

ARTICULUS II.

Utrum veraces sint facultates cognoscitivæ.

104. Negant Sceptici, aut saltem id a nobis sciri certe non posse contendunt; atque exinde rationem repetunt insani perniciosissimique systematis. Contra quos sit:

PROPOSITIO. 1.^a *Facultates omnes cognoscitivæ veraces per se ac natura sua sunt circa proprium cujusque objectum, possunt tamen per accidens decipi.*

Notandum in antecessum est propositionem hanc unam ex iis esse, quæ nec probari possunt sine petitione principii, nec probatione indigent ob summam, qua fulgent evidentiam. Omnis namque veri nominis probatio, ut quidpiam demonstret, supponere tamquam certam debet veracitatem facultatum cognoscitivarum, quarum usu et exercitio fit demonstratio. Nisi enim veraces sint et esse cognoscantur, quisnam, quæso, earum testimonio fidem adhibeat? Non ergo *demonstranda* est propositio ista, sed reflexe dumtaxat explicanda per attentam considerationem terminorum. Itaque

Prima pars declaratur 1.^o Quævis potentia naturaliter tendit ad suam perfectionem, nihil quippe naturaliter quærit malum suum, sed bonum; bonum autem cujusque est perfectio ejus; et ideo bonum definitur id, quod omnia appetunt (1). Atqui perfectio propria facultatum cognoscitivarum est veritas; siquidem cum facultas cognoscitiva destinata sit ad cognoscendum, tunc vere perficitur, cum habet cognitiones conformes objectis, nimirum veras, sicut e converso magna turparetur imperfectione, si res aliter, ac sunt in seipsis, ex interno vitio apprehenderet (2). Ergo facultates cognoscitivæ natura sua tendunt ad verum, ac proinde veraces per se sunt.

Apposite S. Thomas: *Nulla potentia cognoscitiva deficit a cognitione sui objecti, nisi propter aliquem defectum aut corru-*

Veritas facultatum proprie probari nequit sed tantum reflexe explicari.

(1) Hæc alibi exponitur, quamvis satis per se patet. Cfr. interea S. Thom. 3.^o *contra Gentes*, cap. 3, 16.

(2) Cfr. S. Thom. lib. 6, *Metaph.* lect. 4, paragr. c.

ptionem suam, cum secundum propriam rationem ad cognitionem talis objecti ordinetur; sicut visus non deficit a cognitione coloris, nisi aliqua corruptione circa ipsum existente. Omnis autem defectus et corruptio est præter naturam, quia natura intendit esse ad perfectionem rei. Impossibile est igitur, quod sit aliqua virtus cognoscitiva, quæ naturaliter deficiat a recto iudicio sui objecti. Proprium autem objectum intellectus est verum. Impossibile est igitur, quod sit aliquis intellectus naturaliter circa cognitionem veri oberrans (1).

2.^o Vel, si mavis, hoc alio pacto rem declara. Omnis potentia cognoscitiva ex propria natura sua ordinata est ad verum assequendum, unaquæque intra suam spheram, et circa proprium objectum. Atqui nequeunt potentie cognoscitivæ natura sua esse ad verum assequendum institutæ, nisi per se veraces sint. Ergo...

Major manifesta est omnibus, quicumque non negant, hominem ad veri assecutionem naturaliter eniti. Neque enim aliæ nobis suppetunt facultates ac præsidia, quibus potiri veritate possimus. Quare sicut ignis ad comburendum et aqua ad refrigerandum, sic potentie cognoscitivæ ad verum cognoscendum factæ sunt.

Minor etiam per se innotescit. Quia secus natura homini instrumenta suppeditasset ad finem suum ex ingenito vitio inepta. Unde tandem vitium ejusmodi Deo ipsi tribuendum foret, utpote naturæ auctori (2).

Ad proprium objectum, scribit Angelicus, unaquæque potentia per se ordinatur, secundum quod ipsa: quæ autem sunt hujusmodi, semper eodem modo se habent. Unde, manente potentia, non deficit ejus iudicium circa proprium objectum (3).

3.^o Præterea homo certissime ad veritatem assequendam tendit ex ipsa naturæ inclinatione. Quid enim sibi volunt scientiæ artesque et indoles, qua præditi sumus, curiosa et irrequieta res cognoscendi, et non quomodolibet cognoscendi, sed prout sunt in seipsis? Igitur debuit facultatibus instrui aptis ad veras cognitiones obtinendas.

(1) Lib. 3.^o *Contr. Gent.* cap. 108, *Adhuc. Nulla potentia.*

(2) Vide S. Thom., 1 p. q. 17, a. 2 et 3, in corp. et ad 2.^{um}; de *Verit.*, q. 1, a. 12, de *Anim.*, lib. 3, lect. 11, parag. c.

(3) 1 p. q. 58, a. 6.

Nec dicas sufficere unam aliquam esse potentiam fidelem veracemque natura sua, quamvis reliquæ falli queant. Nam par pro omnibus ratio est. Ergo vel omnes sunt veraces, vel omnes sunt fallaces, quin unquam scire possimus, quando nam vere res cognoscamus; et sic homo, præstantissimum opus hujus mundi visibilis, erit monstrosa infelicissimaque omnium natura, utpote instrumentis prædita prorsus ineptis ad id, quod inexplebili siti perpetuo sectatur.

4.^o Accedit, quod sicut res omnes perfectionesque creatæ sunt imitationes, utcumque limitatæ, perfectionum divinarum; ita facultates hominis cognoscitivæ participatio quædam sunt divinæ mentis omniscientiæ atque infallibilis. Ergo debent et ipsæ per se infallibiles esse, licet in gradu restricto, nempe circa propria cujusque proportionataque objecta.

5.^o Denique dubitare de naturali veracitate facultatum cognoscitivarum est evidenter contra naturam hominis. Nam evidens est ejusmodi dubium in universalem scepticismum adducere. Scepticismus autem humanæ naturæ repugnat, ut alibi exposuimus.

Quæ cum ita sint, nihil mirum, si hæc sit communis generis humani persuasio, ipsis etiam scepticis non exceptis, qui operibus suis eandem sibi penitus inherere animi sententiam manifeste produunt. Quamobrem, ut cum Aquinate concludamus, *falsa iudicia in operationibus intellectus* (eademque est ratio de cognitionibus cæterarum facultatum) *sunt sicut monstra in rebus naturalibus, quæ non sunt secundum naturam, sed præter naturam; nam bonum intellectus et ejus finis naturalis est cognitio veritatis. Impossibile est igitur quod aliquis intellectus sit, qui naturaliter in iudicio veri decipiatur* (1).

105. Altera pars propositionis non minus perspicua est, et primo quidem experientia. Sæpe namque fallimur in usu facultatum nostrarum. Quare si id fieri nequit ex innato ipsarum vitio atque ineptitudine, ut vidimus; reliquum est, ut per accidens contingat, prout jam declarabitur.

Deinde id patet etiam ex eo quod alia quoque instrumenta, tum naturalia tum artificialia, utcumque perfectissime elaborata, quandoque imperfecte ac vitiose operari videmus,

(1) Lib. 3.^o *Contra Gent.*, cap. 107, *Præterea. Cum voluntas.*

non quidem ex proprio defectu, sed ex defectu aut materiae aut artificis etc. Quidni ergo etiam facultates cognoscitivæ, quæ instrumenta sunt natura nobis donata, interdum, vel circa proprium objectum, ratione alicujus impedimenti a scopo veritatis aberrant?

Et hæc quidem in genere dicta fuerint de facultatum cognoscitivarum veracitate: nunc pauca speciatim addere necesse est de quibusdam, ut præjactum hoc universale principium rite applicetur ad varia objecta.

106. PROPOSITIO 2.^a *Sensus externi, si nullum adsit impedimentum, decipi nequeunt circa sensibile proprium; licet possunt circa commune et per accidens.*

Doctrina hæc communissima est, ac fere in eisdem terminis traditur ab Angelico Doctore sic scribente: *Sensus judicium de sensibilibus propriis semper est verum, nisi sit impedimentum in organo vel in medio; sed in sensibilibus communibus et per accidens interdum judicium sensus fallitur* (1).

Sed prius quam ad hujus asserti declarationem accedamus, intellige bene, quid evincere velimus. Sensatio est actus quidam vitalis organo inhærens, per quem objectum aliquod subjecto sentienti innotescit, ut cernere est v. g. in visione, quæ dum organo inest, facit cognoscere colores, et similiter in auditione, tactu et reliquis sensibilibus perceptionibus. Quare bifariam considerari sensatio potest: *subjective* seu quatenus est *modificatio* vel affectio quædam in organo recepta, et *objective* seu terminative, nimirum quatenus est imago quædam objecti ac representatio. Sub primo respectu adverti potest, ac porro advertitur, per conscientiam seu reflexum actum intellectus, ut cum adverto me nunc habere *visionem chartæ albæ in oculis*, vel *impressionem caloris in manu* vel demum *experientiam tactus aut alicujus resistentiæ in quovis membro*. Et sic dicitur a S. Thoma sensationem hoc modo comparari ad intellectum velut *rem quamdam*, nempe quia ipse actus sensationis intellectui objicitur cognoscendus, sicut objiciuntur aliæ res in aliis actibus (2). Et

(1) *De Verit.*, q. 1, art. 11.

(2) Cfr. S. Thom., *de Verit.*, q. 1, a. 11.

secundum hanc considerationem sensus falli nullo modo possunt, *quia secundum quod sensus disponitur* (id est afficitur), *secundum hoc dispositionem suam intellectui demonstrat: unde Augustinus dicit in auctoritate inducta* (1), *quod non possunt omnino enuntiare nisi affectionem suam* (2). Cum enim v. g. ægroto amare sapiunt dapes, sive illæ amaræ in se revera sint, sive non, verum semper erit, eum experiri sensationem amari saporis. Judicium tamen de sensatione sub hoc respectu, non ad sensus spectat, sed ad conscientiam, per cujus actum percipitur a nobis sensatio, prout est certa modificatio nos hic et nunc afficiens.

Agimus ergo hic de veracitate sensuum in sensatione objective spectata. Sed adhuc sub hoc respectu sensatio considerari potest vel absolute et abstracte, nimirum quatenus est mera quædam simplex apprehensio et intentionalis imago alicujus objecti sensibilis, quin referatur ad hoc vel illud. Et quoniam sensationem sub hac consideratione falsam esse non posse jam ex superius probatis, cum generatim simplicis apprehensionis cum falsitate repugnantia tractaretur, sufficienter colligatur; non est hic iterum eadem quæstio agitanda. Agimus ergo de veracitate sensuum, quatenus eorum operatio spectatur *relative* ad hoc vel illud objectum, ad quod terminatur, in quantum sit imago illius rei, ad cujus præsentiam habetur; quo pacto sensatio dicitur *umbram quamdam referre judicii*. Sensus quidem formale judicium, quod uni intellectui convenit, non elicit; verum, quoniam non percipit qualitates sensibiles, puta colorem, saporem etc. in abstracto et præcisas a corporibus, sed concrete propriisque subjectis affixas apprehendunt, nimirum v. g. *rosam coloratam, cibum sapidum, lapidem durum ac resistentem*; sensatio implicite atque æquivalenter dici potest continere judicium, quo affirmetur *talem colorem esse in hac rosa, talem saporem in hoc cibo, duritiam in hoc lapide*. Quæ causa est, cur canis

(1) En verba S. Augustini hic ab Angelico laudata: *Ipsi oculi non fallunt nos, non enim enuntiare possunt omnino nisi affectionem suam: quod si omnes corporis sensus ita enuntiant, ut afficiuntur, quid ab eis amplius exigere debeamus, ignoro*. S. August., *de Vera Relig.* cap. 33. Cfr. cap. 36.

(2) S. Thom., *de Verit.*, q. 1, art. 11.

procul videns carnem, ruit, ut illam dentibus arripiat, quasi ipsa sua visione *exerceat* iudicans coram adesse objectum sapidum sibi que conveniens. Cum ergo investigamus de sensuum veracitate, quaerimus num fideles sint in representandis ac referendis objectis, quatenus objecta revera talia sint, qualia renuntiantur per sensus, unde intellectus talia iudicando, qualia relucunt in sensili apprehensione, in errorem falsamque rerum aestimationem non inducatur. Itaque

Prima pars propositionis suadetur 1.^o ex rationibus in thesi praecedenti adductis.

2.^o Si sensus per se falleretur circa proprium sensibile, nulla foret certitudo in scientiis ac potissimum in Philosophia, omnis enim scientia et ars ex experientia singularium sensibilem ducit exordium, ut recte docet Aristoteles (1). Nam principium cuiuslibet nostrae cognitionis est in sensu, quia ex apprehensione sensus oritur apprehensio phantasiae, quae est motus a sensu factus, ut dicit Philosophus, a qua iterum oritur apprehensio intellectiva in nobis, cum phantasmata sint intellectivae animae ut objecta, ut dicitur 1.^o de Anima. Sed terminus cognitionis non semper est uniformiter: quandoque enim est in sensu, quandoque in imaginatione, quandoque in solo intellectu. Quandoque enim proprietates et accidentia rei, quae sensu demonstrantur, sufficienter exprimunt naturam rei; et tunc oportet, quod iudicium de re vera, quod facit intellectus, conformetur bis, quae sensus demonstrat de re. Et huiusmodi sunt omnes res naturales, quae sunt determinatae ad materiam sensibilem; et ideo in scientia naturali terminari debet cognitio ad sensum, ut scilicet hoc modo iudicemus de rebus naturalibus, secundum quod sensus eas demonstrat, ut patet 3.^o Caeli et mundi. Et qui sensum negligit in naturalibus in errorem incidit (2).

Accedit, quod ipsae Sacrae Litterae doctrinam hanc confirmant, cum S. Evangelista Joannes, quasi ad maiorem conciliandam fidem suis dictis, testimonium sensuum invocaverit:

(1) Lib. 2, Poster., cap. ult. Cfr. ibid. S. Thom., lect. 20, paragr. 1; et Arist., lib. 1.^a, Metaphysic., cap. 1. Cfr. S. Thom., ibid. lect. 1.

(2) S. Thom., Opusc. super Boetium de Trinit., quaest. 6.^a De modis, quos speculativae scientiae attribuit, art. 2.^a; Cfr. Tertullian., de Anima, cap. 5, ubi illud etiam addit, Fidem ipsam christianam periclitari, si fallaces sint sensus, Fides enim ex auditu.

Quod fuit ab initio, inquit, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contractaverunt de Verbo vitae.... Quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis (1).

Lege, si lubet, S. Augustinum de veracitate sensuum fuse disserentem (2).

107. Diximus in thesi sensus veraces per se esse circa proprium sensibile, nisi adsit impedimentum: unde concedimus per accidens falli posse.

Impedimentum duplex obstat potest, ne sensus fideliter objecta demonstrent; alterum ex parte organi, alterum ex parte medii inter subjectum sentiens et objectum diffusum. Et primo ex parte organi; cum enim sensus sit facultas organica, vitium organi et alteratio vitari ac variare poterit sensationem, ut patet, quemadmodum vitium instrumenti corrumpit opus aut imperfectius efficit. Sic gustus febricitantium dulcia iudicat amara, propter hoc, quod lingua malis humoribus est repleta (3); et oculi colore aliquo suffusi objecta vident eodem respersa. Simili modo sensus, quamvis sanus, si tamen non est apte dispositus, apteque ad objectum applicatus, potest a vero aberrare. Sic manus sordidae palpandis objectis tenuioribus minus habiles reperiuntur, et palatus acri sapore delibutus ad alios sapes gustandos male dispositus est; nec visus ad res minus distantes percipiendas, sufficienter proportionatus atque applicatus (4).

Medium etiam inter subjectum et objecta sensibilia diffusum, variare poterit sensationem, si varium fuerit aut perturbatum. Ideo propter interpositos vapores, qui radios diversimode refringunt, in ortu et occasu astra oculis apparent

Impedimentum duplex: alterum ex parte organi:

alterum ex parte medii.

(1) S. Joann., Epis. 1.^a c. 1, v. 1, 3; Cfr. Evang. Joann. c. 19, v. 35.

(2) Contra Academicos, lib. 3, cap. 11, 12, 13.

(3) S. Thom., 1.^a p. q. 85, a. 6.

(4) Causa, quare distantia impedit visum, est, quia omne corpus videtur sub quodam angulo cuiusque trianguli, vel magis pyramidis, cuius basis est in re visa, et angulus est in oculo videnti.... Manifestum est autem, quod quanto latera trianguli vel pyramidis sint longiora, dummodo sit eadem basis, tanto angulus est minor, et ideo quanto a remotiori videtur, minus videtur; et tantum potest esse distantia, quanta omnino non videatur. S. Th., de Anim., lib. 2, lect. 15, paragr. de.

subbruba; et baculus in aqua mersus videtur fractus, et objecta, quæ per vitrum coloratum perspiciuntur, eodem cernuntur colore perfusa.

Ratio cur hæc
impedimenta
vident
sensationem.

Cæterum horum omnium ratio in eo sita est, quod, ut in Psychologia videbimus, percipere quidpiam nequeunt sensus, nisi prius ab objectis ipsis impressionem aliquam (*speciem* vocant *sensibilem*), qua ad sentiendum determinentur, in se recipiant; et illi impressioni adscribenda est ratio imaginis ac similitudinis objecti, qua sensatio insignitur (1). Quare quidquid ad actionem atque impressionem huiusmodi vitandam vel alterandam concurrat, in causa erit, cur jam sensibilis perceptio sincera fidelisque sui objecti representatio esse nequeat.

Quæ cum ita sint, ut fidem adhibeamus sensuum perceptioni circa proprium sensibile, sana sint organa, oportet, apte disposita et rite applicata; medium vero uniforme, tranquillum, omnibusque generatim liberum causis perturbationum.

Sed jam veniamus ad alteram propositionis partem.

108. **Secunda pars de communibus sensibilibus.**

Patet 1.^o experientia.

2.^o Ratione, quia mirum non est, si potentia decipiatur interdum circa ea, quæ non per se primo, sed ex consequenti apprehendit. Talia autem sunt communia sensibilia. Nam nullum eorum sensus aliquis attingit, quasi ex prima sui institutione, sicut propria sensibilia, sed solum quatenus habent in se qualitatem aliquam, quæ sit objectum cuiusque sensus proprium, puta visus non percipit *magnitudinem*, aut *figuram* etc. nisi prout *coloratam*; et tactus, nisi prout *resistentem*, et idem dic de reliquis.

109. **Tertia pars de sensibilibus per accidens.**

Patet pariter 1.^o experientia, ut notum cuique est.

2.^o Ratio idem etiam suadet. Nam sensibilia per accidens apprehenduntur solummodo ratione qualitatum sensibilibus propriarum. Atqui fieri potest, ut res etiam diversissime secundum naturam, convenient in aliquo sensibili proprio, puta colore. Ergo facile quoque fieri potest, ut quis, dum sen-

(1) Cfr. S. Thom., 1 p. q. 17, a. 2.

sibile aliquid proprium apprehendit, circa sensibile per accidens decipiatur. Sic aurum cum auricalcho sæpe confunditur, et saccharum cum sale ob similitudinem coloris. Quamobrem ad cavendos errores in hac parte, consulere oportet plurimum sensuum testimonium, ut variorum sensibilibus propriorum perceptione, melius possit sensibile quoque per accidens patescere, vel alias adhibere cautiones, quas intellectus, pro sua sagacitate, aptissimas ad eum finem iudicabit (1).

Apposite Doctor Angelicus: *Circa propria sensibilia sensus non habet falsam cognitionem nisi per accidens et in paucioribus, ex eo scilicet quod propter indispositionem organi non convenienter recipit formam sensibilem (nimirum speciem ab objectis immissam); sicut et alia passiva propter suam indispositionem deficienter recipiunt impressionem agentium. Et inde est, quod propter corruptionem linguæ, infirmis dulcia amara esse videntur. De sensibilibus vere communibus et per accidens potest esse falsum iudicium etiam in sensu recte disposito, quia sensus non directe refertur ad illa, sed per accidens vel ex consequente, in quantum refertur ad alia (2).*

110. **SCHOLIUM.** Non est infrequens apud recentiores sententia docens sensus etiam circa sensibile commune infallibiles esse, si conjunctim adhibeantur, nimirum si attendatur testimonium omnium eorum sensuum, a quibus ea referri possunt.

Equidem doctrinam hanc, saltem prout a quibusdam propugnari videtur, novam censeo, nec omnino veritati conformem. Nova est, quia, quantum ego noverim, nemo est inter antiquos, qui eam teneat. Videantur S. Thomas (3),

Utrum
testimonium
omnium
sensuum
circa sensibile
commune
infallibile sit.
Judicium
auctoris.

(1) Exemplum habes apud Macrobius (Lib. 7 Saturn., c. 14.) *Si eminus poni, quod malum dicitur, figura visatur, non omni modo id malum est, potuit enim ex aliqua materia fingi mali similitudo. Advocandus est igitur sensus alter, ut odorem iudicet. Sed potuit inter congeriem malorum positum auram odoris ipsius concepissee: hic tactus consulendus est, qui potest de pondere iudicare. Sed metus est, ne et ipse fallatur, si fallax opifex materiam, quæ poni pondus imitaretur, elegit. Confugiendum est igitur ad saporem, qui, si forma consentiat, malum esse, nulla dubitatio est.*

(2) 1 p. q. 17, a. 2. Cfr. de Anim., lib. 3, lect. 6, paragr. b.

(3) 1 p. q. 17, a. 2; q. 85, a. 6; de Verit., q. 1, a. 11.

Suarez (1), Complutenses (2), et Joannes a S. Thoma (3) aliique, et nullum reperietur hujus sententiæ vestigium.

Præterea supponunt recentiores sic loquentes, sensus plures ac varios ex ipso naturæ instituto ordinari ad sensibilibium communium cognitionem, ita ut ex omnibus illis exurgat revera integra et adæquata facultas, sicut e converso, singuli sensus seorsim sumpti, sunt respectu propriorum sensibilibium completa virtus ac potentia. Atqui hoc admitti nequit. Nam tunc in illis sensibilibus communibus, quæ ab omnibus quinque sensibus percipi possunt, numero nempe, motu et quiete, expectandum foret testimonium omnium illorum, ut omne periculum erroris arceretur. Quis autem credat judicari secure non posse de numero, motu et quiete, nisi audiatur relatio etiam auditus, gustus et odoratus? aut quis credat ex horum trium sensuum relatione majorem accrescere vim ad testimonium visus aut tactus, ad judicandum de iisdem illis sensibilibus communibus? Ad ipsam magnitudinem rite apprehendam, licet sæpe tactus applicetur ad visum juvandum, hic tamen illius revera subsidio non eget. Sufficit, ut quis magis appropinquet, ac solo visu poterit recte judicare de magnitudine, quamvis non applicet manus ad eam tangendam; nec magis certificabitur præcise ex tactus testimonio.

Verum est, ad errorem vitandum in numerando adhiberi plerumque tactum. Sed si bene res perpendatur, id non tam fit, ut tactus testimonio suo fulciat et confirmet relationem oculorum, sed ut objectum manu melius applicetur, nimirum separando invicem res numerandas, ut sic possint melius discerni. Id quod adeo verum est, ut perinde sit, ut ipse tuis manibus, vel alius quivis res a te numerandas loco separet; si vero separatæ jam sint, omnino supervacaneum est subsidium tactus. Atque idem dic de aliis: unde constat, si quando unus sensus alio juvatur ad melius judicandum de aliquo sensibili communi, id per accidens esse, et nullo modo propterea quod ex pluribus sensibus conflatur integra quædam facultas,

(1) *De Anim.*, lib. 3, cap. 10.

(2) *De Anim.*, disp. 9, quæst. 5.

(3) *De Anim.*, q. 4, art. 2 et 4.

quæ ex ipso naturæ instituto perinde se habeat respectu communium sensibilibium, sicut se habent singuli seorsim sensus respectu propriorum.

Itaque potius dicendum est, errores sensus circa sensibilia communia, sicut et circa alia, detegi emendarique posse ope aliarum facultatum, ac nominatim intellectus, cujus erit aptissima quæque ad id obtinendum præsidia seligere, prout rerum adjuncta suadebunt.

III. PROPOSITIO 3.^a *Imaginatio et memoria, licet absolute atque in se consideratæ circa proprium actum et objectum veraces sint, possunt tamen intellectui multorum præbere occasionem errorum.*

In se quidem et absolute consideratæ veraces sunt. Nam actus proprius imaginationis est reproducere aliorum sensuum representationes, atque intellectui easdem exhibere tamquam materiam, circa quam hic suam exerceat activitatem. Et simili modo ad memoriam spectat recordatio ac recognitio sensationum olim habitatum. Jam autem vides, deceptionem in ejusmodi actu contingere aliter non valere, quam vel ex errore aliorum sensuum, quorum representationem imaginatio reproductit, vel ex vitio hujus ipsius facultatis; primum autem horum præcedit actum imaginationis, nec proinde tribuendum illi est, alterum vero contradicit experientiæ, quæ testatur imaginationem minime corrumpere aut infideliter referre sensationes externorum sensuum, sed easdem tantummodo ingeminare variatas secundum intensitatem claritatemque.

Atque idem fere dicendum est de memoria.

Nihilominus tum imaginatio, tum memoria proclives ad errorem dicuntur, quia ipsarum actus occasio sæpe sunt deceptionum. Nam quoniam imaginatio percipit objecta in eorum absentia exprimendo imagines eorum ac representationes similes illarum, quæ per sensus externos habitæ sunt, præsentibus ipsis objectis, facile fieri potest, nisi ratio vigilet, ut objecta, quæ absunt, præsentia existimentur ob imaginationis relationem, potissimum si vividior fieret. Hoc modo in morbis, in somnis, in mediis tenebris, in silvis, locisque solitariis facile excitatur phantasia, ut fingat imagines multarum rerum, quæ non sunt, quasi essent reapse.

Memoria etiam saepe fallax est, quatenus obscuriorem vel levem, aut incompletam contineat recordationem, vel etiam simul referat facta diversorum temporum, locorum ac personarum. Quare, nisi caveat diligenter mens, attente memoriae testimonium considerans, saepe aut poterit negare, quæ illa non refert, aut quæ obscure refert, perperam interpretari, aut denique loca, tempora, personas, facta confundere, quemadmodum experientia docet.

112. PROPOSITIO 4.^a **Intelligentia falli nequit per se tum in simplici apprehensione, tum in iudiciis immediatis.**

Explicatur, nam probari nequit ut jam monuimus.

1.^o Si facultates nostræ veraces per se ac natura sua sunt, id præcipue convenit intellectui, quæ præstantissima est inter omnes potentias. Intellectus autem in illis actibus potissimum infallibilis sit, oportet, qui solent intelligentiæ attribui, nimirum in simplici apprehensione immediatisque iudiciis, tum quia horum actuum objecta sunt per se evidentia maximeque intellectivæ virtuti proportionata, tum etiam quia iis continentur scientiarum omnium principia, quæ, nisi veritatem habeant, ratiocinia in iis fundata firmitate ac certitudine careant, necesse est.

Si quando igitur deceptionem patitur intelligentia, non ex vitio suæ naturæ id evenit, sed per accidens, vel quia sensus non recte referunt ipsi objecta externa, quæ acie sua contempletur, vel quia ex inconsideratione, re non satis perspecta, immaturum temere profertur iudicium ex meris apparentiis.

Audi Aquinatem: *Manente potentia, non deficit ejus iudicium circa proprium objectum. Objectum autem proprium intellectus est quidditas rei. Unde circa quidditatem rei, per se loquendo, intellectus non fallitur, sed circa ea, quæ circumstant, rei essentiam vel quidditatem; intellectus potest falli, dum unum ordinal ad aliud vel componendo vel etiam ratiocinando. Et propter hoc etiam circa illas propositiones errare non potest, quæ statim cognoscuntur, cognita terminorum quidditate; sicut accidit circa prima principia, ex quibus etiam accidit infallibilitas veritatis secundum certitudinem scientiæ circa conclusiones. Per accidens tamen contingit intellectum decipi circa quod quid est in rebus compositis, non ex parte organi, quia intellectus, non est*

virtus utens organo, sed ex parte compositionis intervenientis circa definitionem, dum vel definitio unius rei est falsa de alio, sicut definitio circuli de triangulo; vel dum aliqua definitio est in se falsa implicans compositionem impossibilem, ut si accipitur hæc ut definitio alicujus rei: Animal rationale alatum. Unde in rebus simplicibus, in quarum definitionibus compositio intervenire non potest, non possumus decipi; sed deficimus in totaliter non attingendo, sicut dicitur in 9.^o Metaph. (text. 22) (1).

Et alibi: *Intellectus dupliciter accipi potest. Uno modo, secundum quod se habet ad hoc tantum, a quo primo nomen impositum fuit, et sic dicimur proprie intelligere, cum apprehendimus quidditatem rerum, vel cum intelligimus illa, quæ statim nota sunt intellectui, notis rerum quidditatibus, sicut sunt prima principia, quæ cognoscimus, cum terminos cognoscimus: unde et intellectus principiorum dicitur. (En id, quod recentiores, intelligentiam vocant.) Quidditas autem rei est proprie objectum intellectus. Unde sicut sensus sensibilium propriorum semper est verus, ita et intellectus in cognoscendo quod quid est, ut dicitur in 3.^o de Anima (text. Com. 26.) Sed tamen per accidens potest ibi falsitas accidere, in quantum videlicet intellectus falso componit et dividit; quod contingit dupliciter: vel in quantum definitionem enim unius attribuit alteri, ut si Animal rationale mortale conciperet quasi definitionem asini; vel in quantum conjungit partes definitionis ad invicem, quæ conjungi non possunt, ut si conciperet quasi definitionem asini Animal irrationale immortale, hæc enim est falsa: Aliquod Animal irrationale est immortale. Et sic patet, quod definitio non potest esse falsa, nisi in quantum implicat affirmationem falsam: hic autem duplex modus tangitur in 5.^o Metaphysicor.*

Similiter nec in primis principis ullo modo decipitur. Unde patet, quod si intellectus accipiat secundum illam actionem a qua nomen intellectus imponitur, non est in intellectu falsitas.

Alio modo potest accipi intellectus communiter, secundum quod ad omnes operationes se extendit, et sic comprehendit opinionem et ratiocinationem; et sic in intellectu est falsitas, nunquam tamen si recte fiat resolutio in prima principia (2).

(1) 1 p. q. 85, a. 6.

(2) De Verit., q. 1, a. 12. Cfr. 1 p. q. 17, a. 3 ad 2.^{um}